



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

I. His decretis fides & disciplina constitutæ, & novitas exclusa. Forma antiqua Romanæ Ecclesiæ ceteris præscripta, ex Innocentio, Liberio, & Leone.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

lentiniani rescriptum, decretorum suorum per provincias mittendorum tenuisse. Quod à Leone, Hilario, Gelasio, & ceteris Pontificibus tantò robustius usurpatum fuit, quòd existimarent ea convelli non posse quæ & sacerdotali ecclesiastica præceptione fulcirentur & regia; ut Hilarus Papa loquitur in epistola sua ad Galliarum Episcopos.

Hilarus ep. xi.

C A P V T I X.

Synopsis.

I. His decretis fides & disciplina constituta, & novitas exclusa. Forma antiqua Romana Ecclesia ceteris præscripta, ex Innocentio, Liberio, & Leone.

II. Lex Valentiniani asserta adversus Novatores: Quæ Leges condendas à Romano Pontifice pro bono disciplina statuit; ut docent Leo & Hilarus Papa.

III. Decreta discussa in Concilio Romano, è Leone. Sed solius Pontificis nomine edebantur.

IV. Sincera Decreta collegis Dionysius Exiguus. Recepta fuerunt in Gallia, è Concilio Turonensi. E Codice Dionysij, dono sibi ab Adriano dato, varia capita in Capitularium libros Carolus M. transcripsit. Et decretis parendum sancivit.

V. Quique Pontifices decreta condere possunt, ut docet Concilium Pontigonense.

VI. Quod admissum à posteris in Gallia, docent Decretalium volumina.

VII. Decretales editæ de assensu Cardinalium. Eorum auctoritas, è Damiano, Bernardo, Othone Frisingensi, Osiensi, & Turrecremata.

VIII. Hodie eorum assensus non censetur necessarius.

I. **D**ECRETÀ quidem ista generalia non de nullius momenti rebus edebantur; sed ad constituendam canonum Nicænorum executionem, ad veteris disciplinae mores novis pœnis faciendos, & ut via præcluderetur novitati, quæ fidei sinceritatem aut disciplinae tenorem corrumpere posset; in id præcipue incumbendo, ut Ecclesiæ Romanæ norma velut ab optimo institutionum capite per omnes provincias diffunderetur. Variis in locis Innocentius hanc sententiam testatur, sed maximè in epistola ad Victtricium Rotomagensem, his verbis: *Propter eos igitur qui vel ignorantia vel desidia non tenent ecclesiasticam disciplinam, & multa non presumenda presumunt, rectè postulasti ut in illis partibus, istiusmodi quam tenet Ecclesia Romana, forma servetur. Non quòd nova præcepta aliqua imperentur, sed ea quæ per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus observari cupiamus, quæ tamen apostolica & patrum traditione sunt constituta. Quæ verba Innocentij transcripta videntur ex epistola Siricij ad Africanos. Rectè itaque*

& ex ordine Liberius Constantio Imperatori, qui ejus in tuendis Concilij Romani Decretis pervicacia lædebat, rescripsit in hæc verba: *Nunquam mea statuta, sed apostolica ut essent semper firmata & custodita perfecti, secutus ordinem morumque majorum, nihil addi episcopatu Urbis Romæ, nihil minui passus sum.* Maximus ille Pontifex Leo, qui Valentiniani rescriptum impetravit, quis sui animi motus esset, quàmque rationem in condendis Decretis sequeretur, satis explicavit, cum omnia Decretalia Constituta tam beate recordationis Innocentij, quàm omnium decessorum suorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus & de Canonum promulgata sunt disciplinis, custodiri mandat.

Leo in Decretis Tit. 1.

II. Quare frustra sunt hujus seculi Novatores, cum odio in Romanam sedem perciti, & Leonem ambitionis reum faciunt; & remissioris animi nimæque facilitatis Valentinianum damnant, quòd perenni Edicto apostolica sedis auctoritatem tam effuso sermone amplificaverit, ut quidquid illa sanxerit, omnibus Episcopis pro lege habeatur; atque ideo illis ecclesiastica disciplina prædæ cuidam exposita esse videatur, unius hominis arbitrio, qui studio rei augendæ, aut privatis odiis, abripi se in transversum patiatur. Etenim Leo Pontifex auctoritatem apostolicæ sedis non aliò inflectendam putat, quàm ut disciplinae & fidei per eam prospiciatur: *Non nova instituentes, sed vetera renovantes; ut in Status consuetudine, quæ à nostris Patribus nobis est tradita, perduremus,* inquit ille in epistola ad Episcopos provinciæ Viennensis. Imò verò nec ipse Valentinianus aliud cogitavit peremptoriis illis verbis, quibus jussit ut pro lege sit omnibus Episcopis quidquid sanxit vel sanxerit apostolicæ sedis auctoritas. Etenim quò illa tendere debeant satis explicuit superioribus verbis: *Ne levis saltem inter Ecclesias turba nascatur, vel in aliquo minui religionis disciplina videatur.* Quid dicam amplius? Nempe Hilarum Papam in eam omnino sententiam disertissimis verbis Edictum Valentiniani interpretatum fuisse in epistola ad Galliarum Episcopos: *Quia,* inquit, *Christianorum quoque Principum lege decretum est ut quidquid Ecclesiis earumque rectoribus pro quiete omnium Domini Sacerdotum, atque ipsius observantia discipline, in auferendis confusionibus, apostolica sedis antistes suo pronuntiasset examine, veneranter accipi tenaciter, que servari cum suis plebibus caritas vestra cognosceret; nec unquam possent convelli quæ & sacerdotali ecclesiastica præceptione fulcirentur & regia.*

Novella Valentin.

Hilarus ep. xi. ad Episcopos Galliar.

III. Quæ Decreta eò maturius perpensa

in libro in Dio. l. 8. c. 1.

in libro in Dio. l. 8. c. 1.

in libro in Dio. l. 8. c. 1.